

collocata est facultas, expulsa fuerit, cogetur pro loco et tempore in hoc invigilare, ut eidem postliminio restituatur, petere tamen ex superhabundanti, ut sententiam in melius mutant. Ad que Ordinarius: iam advesperescere atque simboli celebrandi tempus instare, nihil se habere, quod facultatis nomine amplius respondeat, atque hoc pacto secessum est.

Sequenti die iurato famulo sequentem scripturam et protestationem magnifico domino rectori offerendam tradidi: „Magnifice domine rector. Non est quod magnificentia vestra istam facultatis nostre tabellam iniquo animo ferat, nam ita fortuna tulit, ut aliter geri res minime potuerit. Inreperitorum collegium in hac suorum baccalaureorum promotione contra principis nostri reformationem, inveteratam consuetudinem et ad extremum contra perhumanam inter-
C 141. locutionem decanum, || facultatis nostre archetypen, iure suo et possessione privavit. Quam iniuriam facultas primum ad animam revocat, deinde eius protuende gratia apud vestram magnificentiam, ceu iudicem suum ordinarium, pro loco et tempore actura est, de quo presenti charta per famulum iuratum presentata publice protestatur. Et petit facultas, vestra magnificentia velit huiusmodi protestationis sue hoc pacto facte suo tempore recordari. Ex edibus collegii novi.

Decanus et seniores facultatis eiusdem“.

Sequenti octiduo decanus ad licentiandorum in iure prandium iterum neglectus est. Tum placuit facultati protestationem apud magnificum dominum rectorem non scriptis sed ore fieri, sumque hoc pacto protestatus et requisivi tabellionem Guolffgangum Crasch in hoc, ut testes citaret. Quod et factum est.

Sabatho ante Georgii cum decanatum deponere vellem, conclusum est non accelerandum de lite cum iureperitis instituenda, actionem nostram annalem esse. Deinde singrapha Gangolphi probata. Ad extremum in decanum electus est mgr. Matheus Mecz. * Apr. 22.

1525 Sommersemester. 232. Decan Matthaëus Metz von Nordheim.

C 141'. Decanatus magistri Matthei Mettzii Aquani Northeymensis Saxonice nacionis millesimo quingentesimo vicesimo quinto¹⁾. Anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto Sabbato ante festum sancti Georgii²⁾ vicesima secunda Aprilis in facultatis artium decanum magister Mattheus Mettz Aquanus Northeymensis magistrorum suffragio est electus. Officiales³⁾ habuit subscriptos: Apr. 22.

N 50.

Officiales:

Clavigeros dominos magistrum	{ Virgillum de Saltzburga, Bavarum { Georgium Krauß de Borck, Saxonem.
Executores et visi- tatores dominos magistrum	{ Conradum Lor de Hôve ⁴⁾ , Baverum { Martinum Tetz ⁵⁾ Iawerum, Polonum { Sebastianum Sibart Muchelium, Missenensem { Mattheum Mettzium Aquanum North[cimensis], Saxonem.

* Eodem anno prelegendarum lectionum provintia cum a dominis theologis tum a facultate subscriptis est delegata magistris:

¹⁾ Die Jahreszahl fehlt in N. Die Ueberschrift über der Seite fehlt. ²⁾ In N korr. für Galli.
³⁾ inque eius decanatu acta subscripsit officiales. ⁴⁾ vom Hove. ⁵⁾ Teytz.